

Fol. 131'. Si propter hostium incursus populus terre nocivos aditus et irruptiones periculosas roborea saltus congestionem sepire voluerit, nisi per licentiam abbatis hoc fieri non licet. Concessa autem potestate et forti munitione composita omnis regio a latrunculorum infestatione tuebitur. Si autem post aliquot tempus pacis requies divinitus provenerit, terrore sublato et securitate reddita, moles illa omnisque congeries neque villici neque aliorum aliquorum erit, sed in dominicos usus redigetur.

Fol. 133. Hoc etenim diligenter considerandum firmiterque conservandum est, quod neque comes neque advocatus neque aliquis potens neque aliqua iudiciaria potestas locum habet in universis, que utcumque superius collecta sunt inferiusque colligenda. Non licet eis infra hæc convivia præparare nec placita tenere nec denariorum vel pecuniæ collectionem ab incolis exigere neque ullam violentiam inferre. Omnes forenses causæ vel si aliqua quærela repente oborta fuerit, per villicum, per constitutos iuratosque iudices iuste legitimeque finiatur. Si necessitas fuerit ad abbatis audientiam referetur. Qui nunc advocatus¹ inmerito nuncupatur, honorifico nomine olim defensor ecclesiæ laudabiliter vocabatur, quoniam sapientia, ratione, armis etiam, si ita res exegisset, omnia, quæ erant ecclesiæ, viriliter defendebat et vigilanter protegebat. Rapax non erat nec inferiorum expoliator, sed qui ad sui tutelam pertinere videbantur, quecumque habere poterant, sine auferendi² timore secure possidebant. De his vero, qui modo sunt, ideo dictum est 'advocatus inmerito nuncupatur', quia nec nominis proprietas admittit, ut huius appellatione vocabuli fungatur, donec ad adiuvandum et succurrendum ab his, qui inferius iniuriam patiuntur, fuerit invitatus, hoc est advocatus. Administrationis istius utilis profectus his temporibus, heu! in contrarium versus est. Nam afflictis et merentibus, facultatula sua expoliatis, inelamantibus auxilium, nullum omnino confertur solatium. Voces invocantium is, qui advocatus dicitur, dissimulat audire, quem horum districtissimum vindicem celerrime oportuerat esse. Non eripit inopem de manu fortiorum eius, egenum et pauperem a diripientibus eum. Post tantam autem sui desidiam in subveniendis pauperibus irruunt subito nimia inprudencia officiales eius, lupi vespertini, repentini raptores in desolatos subditos, denariorum

1) Einen Vogt hatte Marchiennes seit dem Jahre 1038. Vgl. die Urk. Balduins IV. von Flandern bei Warnkönig, Flandr. Staats- und Rechtsgeschichte III, 2, Nachtrag S. (5). 2) So von ders. Hd. corr. aus 'offerendi'.